## *Erasmus Roterodamus: Percontandi forma in primo congressu*

### *Georgius, Livinus.*

Ge. Ex qua tandem corte aut cavea nobis ades?

Li. Quid ita?

Ge. Quia male saginatus. Quia macie pelluces totus, ariditate crepitas. Unde prodis?

Li. E collegio Montis acuti.

Ge. Ergo ades nobis onustus literis?

Li. Imo, pediculis.

Ge. Pulchre comitatus advenis.

Li. Sane, nec tutum est nunc viatorem ire incomitatum.

Ge. Agnosco sodalitium scholasticum. Ecquid novarum rerum adfers e Lutetia?

Li. Illud in primis, quod, scio, tibi videbitur incredibile: Lutetiae Beta sapit, et Quercus concionatur.

Ge. Quid tu narras?

Li. Hoc, quod audis.

Ge. Quid ego audio?

Li. Hoc, quod narro.

Ge. Monstri simile. Oportet illie fungos et lapides esse auditores, ubi tales concionentur.

Li. Atqui sic res habet. Nec audita narro, sed comperta.

Ge. Oportet igitur illic plurimum sapere homines, si sapit Beta et Quercus.

Li. Recte coniectas.

### *PERCONTANDI DE VALETUDINE*

Alia.

Ge. Valesne?

Li. Contemplare vultum.

Ge. Quin potius lotium iubes? An me putas medicum? Non rogo, quid valeas; nam facies ipsa loquitur, te belle valere: sed quomodo tibi placeas.

Li. Corpus quidem belle habet, sed animo male est.

Ge. At non valet, qui isthac parte laborat.

Li. Sic res habent meae: corpus valet, sed aegrotat crumena.

Ge. Facile isti morbo medebitur mater. Ut valuisti usque?

Li. Varie, ut sunt res mortalium.

Ge. Satin' recte vales? Salvane res? Satin' salvae res? Fuistine semper prospera valetudine?

Li. Prosperrima, gratia superis. Ego Dei beneficio perpetuo bellissime valui. Semper prospera valetudine sum usus. Hactenus bona

valetudine fui, fausta, incolumi, felici, prospera, secunda, integra, basilica, athletica, pancratica valetudine.

Ge. Prosperrima, gratia superis. Ego Dei beneficio perpetuo bellissime valui. Semper prospera valetudine sum usus. Hactenus bona valetudine fui, fausta, incolumi, felici, prospera, secunda, integra, basilica, athletica, pancratica valetudine.

Li. Equidem pulchre valeo, si tu vales.

Ge. Nihil interim molestiae fuit?

Li. Nihil, nisi quod vestra consuetudine frui non licuit.

Ge. Quo pacto vales?

Li. Recte, pulchre, belle, perbelle, bellissime, perpulchre, feliciter, commode, minime male. Valeo, ut volo potius, quam ut mereor, basilice, pancratice, athletice.

Ge. Exspectabam, ut diceres etiam, taurice.

*Male valere.*

Ge. Rectene vales?

Li. Vellem quidem. Non admodum ex sententia. Equidem utcunque valeo. Sic satis. Valeo ut possum, quando, ut volo, non licet. Ut soleo. Ita, ut superis visum est, Non optime sane. Sic, ut antehac peius nunquam. Valeo, ut solitus sum.. Valeo, ut solent, quibus, cum medicis res est

Ge. Ut vales?

Li. Secus quam vellem.

Ge. Qua valetudine es?

Li. Haud sane commoda, incommoda, perquam incommoda, infelici, parum prospera, parum secunda, mala, adversa, infausta, imbecilli, dubia, mediocri, vix mediocri, longe alia, quam vellem, tolerabili, qualem optem hostibus meis.

Ge. Rem mihi sane quam acerbam narras. Prohibeant superi. Avertat Deus. Bona verba. Hic cupiam, te vanum esse. Bono sis animo oportet. Forti infractoque sis animo. Multum iuvat animus in re mala bonus. Fulciendus est animus spe fortunae secundioris. Quid morbi est? Quod mali genus est? Quis te morbus habet? Quo morbo teneris? Quid habes morbi? Quis te tenet morbus?

Li. Nescio, et hoc laboro periculosius.

Ge. Verum. Nam ad sanitatem gradus est, novisse morbum. Nullosne consuluisti medicos?

Li. Et quidem permultos.

Ge. Quid respondent?

Li. Id, quod advocati Demiphoni apud Comicum: alius negat, alius ait, alius deliberandum censet. In hoc consentiunt omnes, me miserum esse.

Ge. Quam pridem habet te hoc mali? Diu est, quod teneris isto morbo? Quantum temporis est, quod te malum hoc corripuit?

Li. Dies plus minus viginti. Ferme mensis est. Iam tertius est mensis. Mihi quidem seculum videtur, quod aegrotare coepi.

Ge. Adnitendum censeo, ne morbus fiat familiaris.

Li. Iam nimium assuevit.

Ge. Num est hydrops?[1]

Li. Negant.

Ge. Num dysenteria?[2]

Li. Non arbitror.

Ge. Num febris?

Li. Opinor febris esse speciem, sed novam, ut nunc novi subinde morbi exoriuntur, antehac incogniti. Ge. At plus satis erat veterum.

Li. Ita visum est naturae nimium novercae.[3]

Ge. Quoto die recurrit dolor?

Li. Quoto die, narras? imo quotidie: saepius, quam Euripus.[4]

Ge. Papae! malum abominandum. Unde contraxisti morbum? Unde suspicaris, hoc esse collectum mali?

Li. Ex inedia.

Ge. At non soles usque adeo superstitiosus esse, ut te ieiunio maceres.

Li. Non erat religio, sed inopia.

Ge. Quaenam?

Li. Quia non dabatur cibus. E frigore natum arbitror. E putribus ovis morbum ortum suspicor. E vino plus satis diluto. E crudis malis contracta est stomachi cruditas.[5]

Ge. Vide, ne ex immodico aut intempestivo studio conciliaris hoc mali, aut ex potatione largiore, aut Venere parum moderata. Quin accersis medicum?

Li. Timeo, ne citius morbum augeat, quam adimat. Metuo, ne pro remedio det venenum.

Ge. Deligendus est igitur, cui tuto fidas.

Li. Si moriendum est, malo semel mori, quam tot pharmacis excarnificatus.

Ge. Fac igitur, ut ipse tibi sis medicus.

[1] Hydrops] aqueus morbus, ex aqua contractus

[2] Dysenteria] curenta alvi deiectio cum intestionrum torminibus

[3] Noverca] hic pro iniquia, maligna et infecta

[4] Euripius] Fretum angustum inter Baeotiam et Euboeam septies recurrens eo impetu de die: ut naves repugnaantibus velis secum rapiat. Hinc Euripius homo inconnstans.

[5] Cruditas] ventriculi est vitium, cibum aegre concoquentis